



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Universal-Register über die Sechs Theile der Westphälischen Friedens-Handlungen und Geschichte, imgleichen über die Zween Theile der Nürnbergischen Friedens-Executions-Handlungen und Geschichte**

**Walther, Johann Ludolph**

**Göttingen, 1740**

Iohannes Oxenstierna, Axellii filius, Comes in Södremöre &c. Liber Baro in  
Kymitho &c. Dominus in Fyholm, Hornungsholm & Tulgarn &c. Sacræ  
Regiæ Maiestatis Regnorumque Sueciæ Senator, Cancellariæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52921)

IOHANNES OXENSTIERNA, Axellii filius, Comes in Södermöre &c. Liber Baro in Kymitho &c. Dominus in Fyholm, Hörnungsholm & Tulgarn &c. Sacrae Regiae Maiestatis Regnorumque Sueciae Senator, Cancellariae Consiliarius, atque in Germania ad Tractatus Pacis Universalis LEGATUS PLENIPOTENTIARIUS PRIMARIUS.

Einem Lebens-Lauf hat der berühmte Schwedische Archivarius STIERNMANN in seiner zu Stockholm Anno 1731. edirten *Bibliotheca Sui-Gothica*, Tom. II. p. 716. sqq. folgender massen beschrieben:

IOHANNES OXENSTIERNA.

Axellii filius, Comes de Södermöre, Lib. Baro de Kimitho & Nynäs, Dominus de Fyholm, Hörningsholm, Tullegarn, Ekebyhoff, Söderbo & Lidö, Regni Sueciae Senator, Mareschallus Supremus, Legifer Uplandiæ, Praefes Tribunalis Wismariensis & Plenipotentarius Extraordinarius in Germania.

Stockholmiae Sueciae Regni metropoli, natus die Iohannis Bapt. A. C. MDCXI. Patrem habuit *Axellium Oxenstierna*, Comitem *Sodermorie*, Equitem, Regni Sueciae Cancellarium, Legatum in Germaniam, & Federis Evangelici Directorem, matrem *Annam Båth*, Domini *Achatii Iohannis de Tidön* filiam. Adolescens a Domino parente missus in Academiam *Upsaliensem*, cum ibi per annos aliquot studiis humanioribus operam dedisset, in *Belgium*, *Angliam* & *Galliam* iter suscepit, & linguas earum regionum didicit virorumque celeberrimorum conversatione frequenti usus, notitiam in rebus Politicis egregiam acquisivit.

Hac peregrinatione finita, Dominus Pater, *Borussiae* tunc Gubernator, eum ad se vocavit, & ut in rebus bellicis quoque cognitionem aliquam adipisceretur, affini suo Comiti *Gustavo Hornio*, Regni *Sueciae* Marescallo commendavit, cuius militiam in *Germania* secutus, regiminis Equestris, rubri vocati, Colonelium egit.

Cum vero tunc temporis Dominus parens eius *Francofurti ad Maenum* Director Status Evangelici, nomine coronae *Suecicae* fuisset, filium hunc ad se vocatum Consiliorum & actionum omnium participem esse voluit.

Anno MDCXXXIV. Legatus in *Angliam* Reginae *Sueciae* nomine missus, Evangelicis in Germania, Palatinis inprimis Principibus auxilia petiit.

Anno sequentium *Stumsdorfii* in *Borussia*, armistitium cum Rege Poloniae tractaretur, missus eo cum aliis Regni *Sueciae* Consiliariis, ad finem transactionis huius ibi permansit.

Anno MDCXXXV. in patriam reversus; mox Consilarii Camerae munus sibi delatum, fideliter administrare cepit. Anno MDCXXXVI. *Stockholmii* coniugii foedere sociatus est cum virgine *Anna Margareta Sturia*, Comitissa *Suecica*.

Anno MDCXXXIX. Regni *Sueciae* Consiliarius electus, & biennio post anno MDCXLI. a Regina & Regni administratoribus in *Germaniam* ad pacis tractatus mox instituendos ablegatus, in *Pomeraniam* discessit, & Neutralitatem inter Electorem *Brandenburgicum* & Regnum *Sueciae* ad finem perduxit.

Anno MDCXLIII. *Osnabrugum* ad pacis tractatus primarius ipse Regni *Sueciae* Legatus se conferens, ibi usque ad annum MDCXLIX. quo pax *Germaniae* fatalis affulit, commoratus est.

Interea cum Anno MDCXLVI. coniugem charissimam morte sibi subreptam amisisset, anno MDCXLVIII. ad secunda vota transiit, iterum *Wismariae* desponsatus cum *Margaretha Brabia*, Comitissa a *Wifingsburg*, cum qua, finitis sponsalibus, *Osnabrugum* reversus est.

An-

Anno MDCL. pace conclusa, ad *Regine* Mandatum in *Pomeraniam* regressus, regionis illius negotia, quantum fieri potuit, in ordinem reduxit, & Anno MDCLII. in *Sueciam* revertus, *Regine* negotia suscepit, & Anno MDCLIV. Marefcalli supremi munus sibi delatum administrare cepit.

Anno MDCLV. iterum Legatus Extraordinarius in *Germaniam* missus, Præses Regius Tribunalis *Wismariensis*, & Universitatis *Gryphiswaldensis* Cancellarius constitutus, muneribus hiſce fideliter functus est.

Cum tandem diebus aliquot æger decubuisset, viribus sensim deficientibus, postquam Serenissimo Regi ipsum visitanti, coniugi charissimæ, aliisque adstantibus ultimum vale dixisset, animam Deo deditam placide exhalavit die V. Dec. A. C. MDCLVII. ætatis XLVII. *Wismariæ*.

XXVII. Julii anno MDCLVIII. corpus in *Sueciæ* Regnum, multis magnatibus funus comitantibus, avectum est.

\* Ex concione funebri M. *Joach. Schmidii*, Pastoris prim. *Wifmar.* confer *Freheri* Theatrum Virorum eruditione clar. p. 778.

Scriptit Diarium rerum memorabilium a die XXIV. Junii Anni MDCXXXI. ad XXIX. eiusdem mensis & anni, MSS.

IOANNES ADLER SALVIUS, Sacræ Regiæ Maiestatis *Sueciæ* Consiliarius intimus, Cancellarius Aulicus, Hæreditarius in *Adlersburg*, *Alatriney*, *Offwerby*, *Tulingen* &c. dictæ Maiestatis ad Tractatus Pacis Universalis *Osnabrugæ* LEGATUS PLENIPOTENTIARIUS.

Von des Königlich-Schwedischen Gesandens *Johann Adler Salvii* Leben, ist zwar in *ACTIS PACIS WESTPHALICÆ* Tom. I. in den Beslagen zur Vorrede p. II. seqq. und Tom. VI. am Ende des Vorberichts, einige Meldung geschehen; Es sind auch seine Personalia der zu *Stockholm* von *D. Emporagrio* gehaltenen Leichen-Predigt, in Schwedischer Sprache beygedruckt; Am zuverlässigsten aber findet man solche in des berühmten *ANDRÆ ANTONII STIERNMANN'S* zu *Stockholm* Anno 1731. gedruckten *Bibliotheca Suiæ Gothica* Tomo II. p. 192. sqq. folgender massen beschrieben:

IOHANNES ADLER SALVIUS,

*Liber Baro de Oerneholt, Dominus de Adlersburg, Harßfeldt, Willenbruch & Tullinge, Regni Sueciæ Senator, Consiliarius Cancellariæ atque Legatus.*

Habent *Acta Eruditorum Lipsiæ* editorum anno 1712. in 8vo p. 488. (\*) vitam Illustrissimi Domini *Johannis Adler Salvii*, Qualem descripsit olim Domini eius Secretarius, domesticus, & ab epistolis, uti ipse dicit, conscribendis. Num sincere ac vere scriptam dubitari potest. Saltem animi cum dolore ac impetu, ipso fatente auctore, cuius literæ initiales nominis H. I. M. sub calcem descriptionis. Qui idem, ad imitationem libelli famosi, nescio quæ non carpit tenetque, & apud Dominum & coniugem eius *Margaretham*; per sua adeo, in manes eorundem, ceu domesticus quondam, citra dubium iniustus & iniquus. Non nostri in præsentiarum est, vel de coniuge domini huius, adhuc tum, cum scriberet, vivente agere, vel scommata tam ingrati hospicis omnia refellere. Tantum candore solito & amore summi huius viri & de patria optime meriti, sine studio partium referemus præcipua momenta curriculi vitæ. Quæ ad ortum, vitam, res gestas, mortem. Atque natus est *Strengnesii* anno Orbis redempti MDXC. Pater fuit *Syndicus civitatis Petrus Joannis*, mater *Anna Petri*: qua nascendi sorte honesta satis ac

(\*) Conferatur *BUDEI* Lex. Tom. III. p. 177. & *IAC. CHRISTOPH. ISELIN* in Lex. T. IV. p. 204.